



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CCXIV. Extensio, & ampliatio Constitutionis, quæ incipit: In supremo
Justitiæ solio: contra Homicidas edita pro Statu Ecclesiastico ad Regna
Hispaniarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

& Ordinis prædictorum, aliisque quibuscumque etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10.
Octob. 1737.
An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1737. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CCXIV. Extensio, & ampliatio Constitutionis, quæ incipit: *In Supremo Justitia solio*: contra Homicidas edita pro Statu Ecclesiastico ad Regna Hispaniarum.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Enarratio
contentorum
in Bulla: *In
Supremo.*

§. 1. **A**lias nos per nostras sub Plumbo expeditas literas, nempe Sexto Kalen. Februarii, Anno Incarnationis Dominicæ 1734. Pontificatus nostri Anno quinto ad compescenda, & coercenda, atque ab hac Alma Urbe, totaque in temporalis S. R. E. Ditione penitus avertenda, & eliminanda Homicidia, quæ a Viris sanguinum, Divini, humanique Juris oblitis, incredibili cum immanitate in dies magis magisque increbrescente sæpissime patrari non sine gravissimo paterni animi nostri dolore, ac dolore inaudiveramus, Constitutionem, quæ incipit: *In Supremo Justitia Solio*: promulgavimus, in qua postquam omnes, & singulas Constitutiones a se. re. Pio II., Paulo II., Sixto IV., Julio II., Leone X., Julio III., Pio IV., Pio V., Gregorio XIII., Sixto V., Gregorio XIV., Clemente VIII., Innocentio XI., Innocentio XII., ac Benedicto XIII., & quibuscumque aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris adversus homicidas saluberrime editas approbavimus, confirmavimus, & innovavimus, illasque adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo prætendi, vel allegari potuisset, restitimus, & plenarie reintegramus, quæ deinceps omnino, & inviolabiliter observari præcepimus, ac mandavimus.

Statutum in
ea, ut nemini
suffragari va-
leat quodlibet
Privilegium in casu
homicidii.

§. 2. Inter cetera in eadem Constitutione contenta hæc præscripta erant, tenoris, qui sequitur: Et quoniam experimento compertum est, administrationem, ac cursum rectæ, & expeditæ Justitiæ, qua Republicæ salus præcipue innititur, summopere ob turbam, vel ab excessivo numero privilegiatorum vulgariter: *Patentati*: nuncupatorum, vel a minus recta intelligentia Privilegiorum concessorum proinde salvis, firmisque remanentibus Decretis, ac resolutionibus, quæ temporibus fel. pariter recordationis Urbani Papæ VIII., & dictorum Innocentii XI., ac Innocentii XII. Prædecessorum, aut alias quodcumque ea super re emanarunt, volumus, quod privilegium Fori nemini quoruncumque privilegiatorum hujusmodi tam in Urbe, quam in reliquo Statu Ecclesiastico, prædictis Officialibus, aliisque privilegiatis a Congregatione pro tempore existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium contra hereticam pravitatem generalium Inquisitorum, ac Ministris necessariis actu inferentibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis præfatis, eorumque Curis dumtaxat exceptis, pro crimine homicidii suffragentur, sed

dicti Privilegiati quatenus Clericali charactere insigniti, Ecclesiasticæ, & quatenus laici fuerint, Sæculari Jurisdictioni subiaceant: Reservantes Nobis facultatem declarandi quinam, quotque esse debeant veri familiares dictorum Archiepiscoporum, Episcoporum, & Ordinariorum, ac Officialium necessariis curiis Ecclesiasticis verum, & actuale servitium præstantes.

§. 3. Insuper quia ex illis etiam, qui in sortem Domini vocati sunt, quique aliis irreprehensibilis, & ab omni culpa, & macula immunis vitæ, ac virtutum exemplo præluere debent, aliqui interdum reperiuntur adeo suæ vocationis immemores, ut impellente humani generis hoste pluribus etiam homicidiis manus suas cruentare non perhorrescant: Nos perverforum quoruncumque malitiæ obviandum esse non indulgendum probe intelligentes, ad istorum quoque frenandam pervicaciam perpetuo itidem statuimus, quod Clericus Primæ Tonsuræ nullum Beneficium Ecclesiasticum obtinens, tamen conditiones Clericis hujusmodi a Concilio Tridentino præscriptas servaverit, ac servet pro duobus tamen homicidiis animo deliberato, & præmeditato per eum patris privilegio Fori, & Canonis in odium tanti excessus, & ad aliorum terrorem exuatur: & uti incorrigibilis omnino sæculari potestati subiciatur, ab ea tanquam laicus legitimis poenis plectendus: Clericus quoque in minoribus Ordinibus constitutus, nec pariter Beneficiatus, nec præscripta a Concilio Tridentino servans tam celebs quam conjugatus, in causis homicidii dicto privilegio Fori non gaudet, eoque privatus remaneat, neque a proprio Episcopo, seu Ordinario, repeti, minusque habitum clericalem, quem indigne abiecit, reassumere possit nisi post totaliter expiatam admissi delicti penam. Declaratio autem, an Reus ante patratum homicidium requisita a Concilio Tridentino servaverit, ad Episcopum, aliumve loci Ordinarium omnino spectet, non retardata interim delinquentis assecuratione, facienda etiam per Judicem laicum nomine Ecclesiæ, qui illum pariter Ecclesiæ nomine ad illius dispositionem retinere possit, ac debeat, donec dicta declaratio prodierit, quæcumque diversa, ac etiam contraria Juris Canonici, & Apostolicarum Constitutionum dispositione, seu interpretatione, nec non consuetudine haud refragante.

§. 4. Porro cum idem Benedictus Prædecessor animadvertens homicidia hujusmodi suo etiam tempore increbrescere, nec minus quam alia facinora in celebri Constitutione dicti Gregorii XIV. etiam prædecessoris, quæ incipit: *Cum alias*: recensita publicæ quieti officere, pro commissi sibi Apostolici officii debito per prædictam suam Anno Incarnationis Dominicæ 1725. sexto Idus Junii, cui initium est: *Ex quo Divina*: evulgatam Constitutionem laicos animo præmeditato, ac deliberato proximum suum interficientes, ab Ecclesiastica Immunitatis beneficio exclusit, & repulerit, ac pro exclusis, atque repulsis haberi voluerit.

§. 5. Nos ob gliscentem in dies quorundam Ecclesiasticorum nequitiam, qui, nulla proprii Status habita ratione, non raro in adeo nefarium, detestandumque crimen prolabantur, ipsarum Gregorii, & Benedicti Prædecessorum Constitutionibus, quas supra confirmavimus, atque innovavimus, inhærentes, & quatenus opus sit, criminum in illis exceptorum reos immunitate Ecclesiastica nequaquam juvari, iterum decernentes, eandem Benedicti Prædecessoris Constitutionem, laicos animo præmeditato, ac deliberato proximum suum, sicut præmittitur, interficientes, a beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ excludentem, ad ipsos Ecclesiasticos cujuscumque gradus, & Ordinis existant, in Urbe, ac universa ditione nobis, & Sedi Apostolicæ mediate,

Clericus
tonsuratus
secundum ho-
micidii reus
Fori privile-
gio non gau-
deat.

Quo etiam
privilegio
privus sit
Clericus in
minoribus
Ordinibus
constitutus,
præscripta-
que a Con-
cilio Triden-
tino non ser-
vans.
Disquisitio
autem an
Reus ante pa-
tratum homi-
cidium serva-
verit Statuta
Concilii spe-
ctet ad loci
Ordinarium.

Bened. XIII.
Laicos deli-
berato animo
idem crimen
patrantes ab
Immunitate
Ecclesiasticæ
excluit.

Hujusmodi
Benedicti
Constitutio-
nem extendit
Clemens ad
Ecclesiasticos
a Jure tamen
Ecclesiastico
judicandos.

De reate ad
poenam, pri-
vationemque
Immunitatis
Ecclesiastica
requisita.

De modo ex-
trahendi reos
ab Ecclesia
juxta qualita-
tem criminis,
& persona.

vel immediate subiecta homicidium animo simili-
liter premeditato, ac deliberato patrans exten-
dimus quoque, & ampliamus, dummodo tamen
causa admitti per eos homicidii ab illorum Judice
Ecclesiastico competente cognoscatur, & ab
eo, si rei reperti fuerint, citra poenam sangui-
nis ad præscriptum Sacrorum Canonum condigna
puniantur animadversione.

§. 6. Ulterius ad varias Doctorum, qui ejus-
dem Benedicti Prædecessoris mentem, quoad
personas in dicta ejus Constitutione comprehen-
sas interpretari, ac explicare voluerunt, senten-
tias, & opiniones dirimendas, declaramus homi-
cidii Reos nati minores viginti quinque, majores
vero viginti annis tam laicos, quam Clericos, at-
que omnes, & singulos five laicos, five Clericos,
qui mandatum, consilium, instigationem, auxi-
lium cooperativum, aut aliam operam Occisori
præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus ho-
micidium evenit, in dicta Benedicti Prædecessoris
Constitutione comprehensos esse, ac deinceps
censeri debere, eamque quatenus opus sit, ad
ipsos pariter extendimus; Ita scilicet, ut illorum
extractio eloco immuni, atque traditio Curia Se-
culari, quoad laicos, ad ejusdem Curia Se-
cularis requisitionem fiat a Curia Ecclesiastica, & Cle-
rici ab ipsa Curia Ecclesiastica, ex officio omni-
no extrahantur juxta normam infra dicendam.

§. 7. Item declaramus omnes, & singulos præ-
dictos tam laicos, quam Ecclesiasticos, qui in
Urbe, ac Ditione præfatis ex causa, & occasione
homicidii, etiam in rixa commissi cum armis,
seu Instrumentis suapte natura aptis ad occiden-
dum inquisiti, & processati, vel in contumaciam
banniti, & condemnati fuerint, dummodo ho-
micidium non fuerit casuale, vel ad propriam
defensionem, Immunitatis præfata beneficio mi-
nime etiam gaudere, utque Reorum ratione ho-
micidii, ut præfertur, excepti inquisitorum seu
bannitorum, & in contumaciam condemnatorum
extractio ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus,
atque traditio suo cuique Judici competenti le-
gitimis modo, & forma a Curia Ecclesiastica fiant,
volumus, & ordinamus, ut quotiescumque Ju-
dici Ecclesiastico competenti innotuerit, ali-
quem laicum, seu Ecclesiasticum ex causa ho-
micidii excepti inquisitum, atque processatum
ad Ecclesiam, seu locum immunem confugisse,
ibique moram trahere, ac ea super delicti qua-
litate, ac personæ reitate subministrata, vel ac-
quisita suppetant indicia, quæ ad capturam de-
cernendam sufficere videantur, tunc idem Judex
Ecclesiasticus ex officio, ac nemine etiam requi-
rente, si delinquens sit Clericus, sin vero laicus
postquam a Curia Seculari requisitus fuerit, ad
ipsius delinquentis extractionem ab Ecclesia, seu
loco immuni, implorato etiam ad hoc quatenus
opus sit, auxilio brachii Secularis, & cum inter-
ventu personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputan-
dæ devenire teneatur; Extractumque ad suos,
si tuti, & securi fuerint, sin minus ad Curia
Secularis Carceres asportari, ibique sub tuta cus-
todia detineri curet, & faciat: Ubi vero ex pro-
cessu informativo desuper conficiendo quoad In-
quisitum nondum condemnatum, dictus Judex
Ecclesiasticus ex acquisitis, seu subministratis in-
diciis ad torturam tantum sufficientibus ad ex-
tractio homicidium a præfata Benedicti Prædeces-
soris, & hac nostra Constitutionibus exceptum
patratum fuisse cognoverint, ad declarationem,
quod scilicet de casu ita excepto constet progre-
diatur, extractumque si laicus sit, Ministris, &
Officialibus Curia Secularis; Si autem Clericus,
ejus competenti Judici Ecclesiastico tradere, &
consignare possit, ac debeat, exactis tamen, re-
ceptisque in actu traditionis, & consignationis hu-
jusmodi a Judice quidem Seculari Juramento, &
ab Ecclesiastico promissione in verbo veritatis de-
stituendo Extractum Ecclesiæ, locove immu-

ni sub poena Excommunicationis latæ sententiæ
nobis, & eidem Romano Pontifici pro tempore exis-
tenti reservatas; quatenus extractus in suis defen-
sionibus, quæ ad tramites Juris, & ordinationum A-
postolicarum ei competunt, præfata elidat, seu di-
luat indicia, & si illa minime eliserit, five diluerit,
& delinquens repertus fuerit, Judici suo, scilicet
Ecclesiastico in Clericum, Seculari in Laicum, ut
Juris esse censuerit, animadvertere liceat.

§. 8. Quoties autem de jam bannito, aut in
contumaciam damnato ex causa homicidii super-
ius excepti five laico, five Ecclesiastico agatur,
quilibet Judex Ecclesiasticus, ut præfertur com-
petens ad illius nimirum, instante Curia Se-
culari, & Clerici ex officio extractionem ab Ecclesia,
locove immuni cum interventu quoque personæ
Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, ac tradi-
tionem suo respectu Judici, sicut mox disposi-
tum est, procedat, solamque sententiæ contu-
macialis, & ædorum quibus illa fundatur, exhi-
bitionem ad hoc sufficere decernimus, ut dictus
Judex Ecclesiasticus ex illorum inspectione dum-
taxat agnito, num istiusmodi sententiæ contu-
macialis legitime, jussuque prolata sit, ad for-
mam Constitutionum Apostolicarum pronuncia-
re, ac declarare queat, & debeat, an Banni-
tus, & in contumaciam damnatus consignandus
veniat, nec ne? Exactis pariter, & receptis,
quatenus consignetur a Judice Seculari juramen-
to, si delinquens sit laicus, ab Ecclesiastico ve-
ro, si fuerit Clericus, promissione ipsum, ut
supra, restituendi Ecclesiæ, locove immuni,
sub ante dicta poena excommunicationis, si ex-
tractus in suis similiter defensionibus ei ad præ-
scriptum prædictarum Constitutionum Apostoli-
carum competentibus nullitatem, & injustitiam
Contumacialis sententiæ prædictæ ostenderit, &
sceleris indicia diluerit; quod si id præstare ne-
quiverit, & ex eisdem sententiæ, & actis rite,
& recte gestis, reus repertus fuerit, Judex ejus
competens sententiæ exequi, & quando aliquem
in poena irrogata excessum deprehenderit, etiam
moderari valeat, ita quod quæcumque declara-
tio a prædicto Judice Ecclesiastico facta in Judi-
cio Ecclesiastico immunitatis super consignatio-
ne Banniti, & in contumaciam damnati, ejus-
que denegatione nullatenus deservire, & a ne-
mine allegari possit in alio diverso, ac separato
Judicio, in quo scilicet de præfata sententiæ
Contumacialis executione postmodum disputari
contingeret, ad quem effectum dicta declaratio
Judicis Ecclesiastici perinde habeatur, ac si non
emanasset, nec ullus exinde scrupulus animo Ju-
dicis competentis in cognoscenda, & definienda
validitate, seu nullitate, justitia, seu injustitia
ejusdem sententiæ contumacialis ingeratur.

§. 9. Cum autem inter cetera, quæ in Trac-
tatu viginti sex articulis comprehenso ac per-
mutuam, reciprocamque nostram, & Charissi-
mi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum
Regis Catholici ratificationem, ac ratihabitio-
nem in perpetuum inter Apostolicam hanc
Sanctam Sedem, & earundem Hispaniarum
Regna firmato, ac constabilito contenta, &
concordata fuerint, prout in nostris desuper
in simili forma Brevis die 12. currentis men-
sis Novembris expeditis literis uberius contine-
tur, illud quoque concordatum fuerit, ut dis-
positionem præfata Constitutionis nostræ supe-
rius insertam etiam ad Hispaniarum memorata-
rum Regna, in quibus homicidia frequentissi-
ma quoque sunt, extendere, & ampliare de A-
postolica benignitate dignemur. Nos igitur
ad tam exitiale, ac detestabile homicidiorum
flagitium, quantum cum Domino possumus pro-
pulsandum, exterminandumque ad vigilantes,
prædictam Constitutionem pro universa, ut præ-
mittitur S. R. E. præfata ditione a nobis fac-
tam quoad præinserta in his præsentibus literis

De Bannitis,
& sententiæ
contumacialis
irretitis.

Constitutio
prædicta: de
Supremo: ad
Hispaniarum
Regna exten-
ditur.

resp.

respective ad prædicta Hispaniarum Regna Apostolica auctoritate motu proprio tenore præsentium extendimus, & ampliamus, atque deinceps omnino, ac inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus.

§. 10. Volumus tamen, ut sicut in nostra ditione Ecclesiastica, sola sententiæ Contumacialis, & actorum, quibus illa fundatur, exhibitio ad hoc, ut sufficiat, ut dictus Iudex Ecclesiasticus ex illorum inspectione dumtaxat agnito, num sententiæ contumacialis legitime, iusteque prolata sit ad formam Constitutionum Apostolicarum pronunciare, ac declarare queat, & debeat, an Bannitus, & in Contumaciam Dam-natus consignandus veniat necne? ita pariter pro Regnis Hispaniarum sola sententiæ contumacialis, ac actorum, quibus illa fundatur exhibitio ad hoc sufficiat, ut Iudex Ecclesiasticus ex illorum inspectione dumtaxat agnito, num sententiæ contumacialis legitime, iusteque prolata sit ad formam legum, & statutorum eorundem Regnorum Hispaniarum pronunciare, ac declarare queat, ac debeat, an Bannitus, & in Contumaciam Dam-natus consignandus veniat, nec ne.

§. 11. Decernentes easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque semper, & perpetuo firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtrahere, atque ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, plenissime observari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, eorundem Cardinalium Congregationes, aliosque quoslibet quæcumque præminentia, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 12. Non obstantibus præmissis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, statis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac quorumcumque Prædecessorum nostrorum literis, privilegiis, indultis, & facultatibus quibuscumque etiam dictis Cardinalibus, eorumque Congregationibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuslibet etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam Consistorialiter, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum, concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quælibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi acti de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inferrentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 13. Volumus autem, ut lapsis vigin-tiquinque diebus postquam præsentibus literis per eorundem Hispaniarum Regna ab Ordinario nostro,

arque Apostolica hujus Sanctæ Sedis in iisdem Hispaniarum Regnis Nuntio publicatæ fuerint, omnes, & singulos in præfatis Regnis existentes perinde ardeant, ac si unicuique eorum personaliter, ac nominatim intimatæ fuissent, utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Iudicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Novembris 1737. Pont. nostri Anno VIII.

Patriarchæ pro tempore Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis perpetuo conceditur, quod in Consistorio immediate sequenti ad ejus electionem, ac provisionem de Patriarchatu ad Cardinalitiam dignitatem promoveri debeat.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Inter præcipuas Apostolici ministerii nostri partes eam esse longe gravissimam nobis injunctam intelligimus, ut Hierarchiam divina ordinatione in Catholica Ecclesia institutam, non solum semper stabilem custodire, & conservare, verum etiam majoribus gloriæ, ac splendoris incrementis, cum hac ad divini honoris cultum magis adaugendum, ac Catholica Ecclesiæ decus amplius promovendum plane redundatura fore Domino prospicimus, & confidimus, Apostolica sollicitudine, ac providentia cumulare satagimus.

§. 1. Itaque cum Ven. Frater Patriarcha Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis iis insignibus, & prærogativis a se. rec. Clemente XI, & Benedicto XIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris primum ordinatus fuerit, ut profecto inter Ecclesiasticos Præfules, & Antistites plurimum excellat, hinc est, quod nos etiam congruum, & consentaneum propterea fore existimamus, si Patriarcha præfatus per laudabilem providentiæ, & Indulgentiæ rationem, quam Apostolica hac S. Sedes, quantum commode fieri poterit, in assumendis S. R. E. Cardinalibus habere consuevit erga Orthodoxas Nationes, inter eosdem S. R. E. Cardinales etiam per antedictæ providentiæ anticipationem in posterum adnumeretur, quemadmodum ipsum quoque Charissimum in Christo filium nostrum Joannem Portugalliæ, & Algarbiorum Regem Illustrem de Catholica Religione multis nominibus, & præsertim ob eximiam pietatem, ac constantem, fidelissimamque erga Apostolicam hanc Sedem probatam observantiam, ac singularem sollicitudinem, studium zelumque in provehenda, propagandaque ad instar omnium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum Prædecessorum suorum apud barbaras, remotissimasque Gentes Catholica fide meritissimum, ac propterea omnibus Apostolicæ liberalitatis documentis dignissimum id ipsum sentientem desiderare accepimus.

§. 2. Quamobrem motu proprio, nostro, & Successorum nostrorum, & Sedis Apostolicæ nomine, de nonnullorum etiam Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio concedimus, & indulgemus, ut memorata erga Catholicas Nationes providentiæ suffragante, in Consistorio provisus, & electus pro tempore Patriarchæ

Transumptis danda fides.

Dar. die 14. Nov. 1737. An. VIII.

CCXV.

Procedimus.

Causæ concedi Privilegium, de quo in Rubrica.

Concessio.

cha Ec-

Sola sententiæ contumacialis exhibitio sufficit ad hoc ut Iudex Eccl. possit declarare an in contumaciam damnatus consignandus sit, nec ne.

Præsentium literarum firmitas, & perpetua observantia.

Derogatio contrario-rum.

Terminus indic-tus ad huiusmodi Constitutionis vigorem inducendum.